



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

In Orationem Dominicam Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

DIVERSORVM CARMINVM.
IN ORATIONEM DOMINICAM
PARAPHRASIS.

59

OMnipotens hominum genitor, fator vnice
rerum,
Mortales patrio semper amore fouens:
Cęlesti qui sic habitas regnator in aula,
Vt tamen & pręsens inferiora iuues:
Vt cunctis pręstes vitam, atque alimenta creatis,
Parsque tuo rerum numine nulla vacet:
Effice sanctificent cunctę tua nomina gentes,
Semper & officio, quo decet, illa colant.
Fac nos sollicita tua iussa facessere mente,
Moribus ę nostris vt tibi surgat honos.
Vocis adorandę cauti reuerentius vsum
Traitemus, grauior nec nisi caussa sinat,
En vitia, & pestes varię, quas dicere non est,
Atque Erebi in nobis regna tyrannus habet.
Tu procul exactis animorum Regibus istis,
Iniicias dominas in tua iura manus.
Sit tua solius nostrę possessio mentis,
Nil ea te pręter quęrat, adoret, amet.
Ac tantum valeant totum tua scita per orbem,
Dent vt eis facilem pectora cuncta locum.
Scilicet vt tandem puri, & sine labe queamus
Ætheri tecum regna tenere soli:
Cuius vt indigenę prompti tua iussa sequuntur,
Et peragunt alacres, quod tibi cunque placet:
Sic tibi mortales certent paręre, nec vllus
Sustineat placitis abstinuisse tuis.
Corporis inde tui, & cęlestis munere verbi
Esuriem nostri pectoris oro leues.

Vique

Utque pij numeros omnes impleſſe parentis,
 Et merito ex omni parte ferare bonus,
 Præbe humana quibus doleat natura negatis,
 Noſtraque prouifis corpora paſce cibis.
 Nos porro debere tibi permulta fatemur,
 Quæ faciunt pœnæ vindicis eſſe reos:
 Pignoribus ſed parce tuis, huiusque remiſſor
 Da penitus triſtem debiti abeſſe notam:
 Si nullo læſi vindictæ ardemus amore,
 Si veniam, nobis qui nocuere, damus.
 Nos caro, nos mundus, nos Dæmonis arma maligni
 Vndique circumſtant, difficilisque fuga eſt:
 Vincula qui nobis, & mille pericula tendunt,
 Exercentque animos per genus omne doli.
 Tu Pater hæc contra, fortes vt ſtare queamus,
 Sufficias vires, nec patiare capi.
 Omnia corporibus noſtris inimica repelle,
 Quæque ferant animis damna, fac eſſe procul.
 Denique ſemper eos, genitor quibus eſſe tulisti,
 Cura ſit à cunctis aſſeruiſſe malis.

AD BEATAM VIRGINEM MATREM.

Virgo parensque Dei ſalue, præcordia cuius
 Impleuit celſo gratia miſſa polo.
 Ille tuo ſtabilem fixit ſub pectore ſedem,
 Cui cælum, tellus, ſeruit, & omne fretum.
 Felicem ante alias omnis te lingua fatetur,
 Nec mulier titulum hunc iuſtius vlla gerit.
 Quin benediſta tui ſoboles quoque ventris I E S V S
 Saluificæ allator C H R I S T V S & author opis.
 Hunc nobis genitum queſo placare labora,
 O M A R I A illæſæ virginitatis honor.

Sæpe